

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08245798 1





SPECIMEN HISTORICO-JURIDICUM
INAUGURALE,

DE

# JURIS FEUDALIS ORIGINE ASIATICA.

SPECIMEN HISTORICO-JURIDICUM INAUGURALE,

DE

# JURIS FEUDALIS ORIGINE ASIATICA.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**WESSELII ALBERTI VAN HENGEL,**

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

*Pro Gradu Doctoratus,*

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

*IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

**ALEXANDER HENRICUS AUGUSTUS
JOANNES DE SAINT GEORGE,**

HELVETUS.

AD DIEM XXXI JANUARII MDCCCXXXII. HORA I—II.

**Lugduni Batavorum,**

APUD C. C. VAN DER HOEK.

MDCCCXXXII.

VIRO

*NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,*

COMITI

**ADAMO FRANCISCO VAN DER DUYN,**

**DOMINO MAASDAMI ET BENTHORNIAE**

**ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE COLLEGII CURATORUM PRAESIDI, REGII STATUS SENATORI, REGINAE PRAEFECTO AULICO, PROVINCIAE HOLLANDIAE MERIDIONALIS PRAEFECTO, ORDINIS LEONIS NEERLANDICI, CLASSIS PRIMAE MAGNA CRUCE INSIGNITAE DECURIONI TURMALI, ETC. ETC.**

*Hasce studiorum primitias, grati animi testimonium, ea qua par est reverentia*

D. D. D.

AUCTOR.

SPECIMEN HISTORICO-JURIDICUM
INAUGURALE

DE

# JURIS FEUDALIS ORIGINE ASIATICA.

## INTRODUCTIO.

Cum maxima semper exstiterit conjunctio mores populi inter, et ejus leges, perutile esse debet studium quo investigatur quaenam propter causas, modo leges moribus, modo mores legibus emendati fuerint. Neque hoc ita difficile est, quippe leges optima increscentis vel decrescentis humanitatis indicia haberi possint (1). Primo intuitu videtur tantum legibus mores posse emendari; non enim difficile est intellectu, po-

(1) Ut egregie demonstravit Cl. Kemper in Oratione ad hoc argumentum, Amst. 1807.

pulum meliorem posse effici, in regno liberaliter instituto et quod eximie valet ad humanitatem properandam; sed non tam naturae consentaneum esse videtur, leges semel sancitas mutari posse tacita illa morum consuetudine. Hoc tamen in praeteritis saeculis saepe accidit: tum cum lex nimis culta et humanior esset, quam ut populus adhuc barbarus ei obtemperare posset, tum cum lex barbara mansisset, quamvis populi mores jam humaniores facti essent. Ne longius disputam duo tantum exempla mihi afferre liceat.

Ludovicus IX, Rex Galliae, vir ingenio atque humanitate aequalibus suis multo superior, quum commoveretur barbarie illa quae adhuc omnia fere instituta gallica maculabat, plurimas novas leges sancivit, *Institutionum* nomine cognitas, quae multo magis comparatae erant ad mores populi excolendos et poliendos; sed cum plures harum legum non conveniunt cum gradu humanitatis quo tum erant Galli, in desuetudinem abierunt, neque ultra vitam legislatoris duraverunt. Exemplum praebet institutum illud quo bellum privatum (faida) vetabatur, quod vix Ludovico regnante observatum fuit: quippe haec bellandi consuetudo moribus illorum temporum tam inveterata esset, ut exstir-

pari non posset, nisi ipsi mores emendarentur (2).

Alterum exemplum leges tacita consuetudine mutatas fuisse, nobis praebet Anglia: ibi enim multae leges in desuetudinem abierunt, quamvis huc usque expresse abrogatae non fuerint. Sic non diu abhinc demum solenni actu supremi Senatus Anglici (Act of Parliament) sublatae fuerunt illae leges quae quaestionem et praelium judiciarum permittebant.

Plura per saecula unicum jus quod apud majorem partem populorum Europaeorum vigebat, erat Jus Feudale. Per decem fere saecula, omnes leges, omnia instituta plurimarum civitatum, huic obnoxia erant juri. Magna igitur fuit hujus ju-

(2) Conf. Mignet, de la Féodalité et des Institutions de St. Louis. Robertson, Introduction to the History of Charles the Fifth. Beaumanoir, cap. 59 Ducange, Diss. 29. sur Joinville, ut et leges Caroli Magni de *Compensatione*; Baluzius, Capitul. A. D 802. Vol. I. p. 371.

Sic constitutae fuerunt, sed non observatae, *Pax Dei*, a die Jovis sub vesperam usque ad diem Lunae — *Confraternitas Dei* — *Treuga Regia*, a Philippo Augusto constituta, initio seculi XIII, postea a Ludovico Sancto iterum sancita, A. D. 1245, et deinde a Philippo Pulchro, 1296.

ris auctoritas, partim in promovenda humanitate, partim in ea impedienda; et sicuti studium historiae Romanae et historiae Juris Romani sibi invicem magnum ferunt auxilium, neque altera bene intelligi possit, si altera plane negligatur, sic etiam si paulo intensius historiam Europae per X. ultima secula investigare volumus, necesse est ut ad hunc exsequendum finem, jus hocce cognitum habeamus, quod populis Europaeis commune erat, et quod et Juris Civilis, et Publici, et Criminalis vicem tenebat.

Non vana est igitur haec nec inutilis inquisitio in historiam originemque juris quod non amplius extat (paucis exceptis regionibus) quamvis hoc argumentum primo intuitu minus cum hodierno jure conjungi posse videatur.

His motus rationibus et perspiciens hoc studium mihi simul utile et jucundum futurum, mihi propositum habebam, primo, disquisitionem instituere de juris feudalis origine; dein investigare quomodo, et quibus temporibus in usum venerit apud varias Gentes Europaeas; quomodo temperatum fuerit indole variorum populorum; quare apud nonnullos diu obtinuerit, cum apud alios multo citius in desuetudinem abierit. Denique inquirere volebam in effectus hujus systematis apud populos qui id receperunt, et de-

monstrare hoc jus multum contulisse ad homines cultiores reddendos. Quam meam ultimam sententiam improbant plurimi scriptores recentiores, praecipue Gallici, qui jus feudale reprehendunt quasi animum, libertatem, scientiam, veluti vinculis ferreis obstrinxisset, molemque ingentem opposuisset omnibus humanitatis progressibus quibus nobilitari aut meliores fieri possent homines.

Sed in memoriam revocemus conditionem societatis, tempore occasus Imperii Romani, antequam jus feudale generaliter receptum esset. Ingens illud Imperium, quod totam fere Europam, et partem Asiae et Africae complectebatur non amplius omnes partes quae hoc immensum Regnum efficiebant, conjunctas retinere poterat. Imperatores qui sedem Constantinopolin transtulerant, Regni habenas in debilibus manibus non amplius retinere valebant. Innumerabiles tunc extabant leges, quibus obtemperare Imperatores subditos suos cogere non poterant; ex omnibus partibus patebat Imperium barbarorum incursionibus; omnia labefactata erant societatis instituta. Extincta erat libertas; scientiae, leges, despicebantur.

Talis erat societatis status cum introductum fuit Jus feudale in veterum orbem Roma-

num. Primum fuit juris vinculum quod membra disjecta societatis collegit, eisque formam et firmitatem addidit. Quod autem ad barbariem hujus juris attinet, cavendum est quamvis jam ab initio huic systemati se immiscuerint multae consuetudines et institutiones barbarae, ne hae commisceantur cum eo quod systematis fundamentum efficit, et jam temporibus extabat multo antiquioribus. Materia quam mihi tractandam proposueram, vires meas multum superabat, sed mihi tam arridebat argumentum, ut id tractare conatus sum. Sed quo magis rem indagabam, eo magis deprehendi difficultatem operis quod mihi imposueram, et post annum fere totum in his studiis consumptum, jam argumentum deserturus eram, cum spem amitterem unquam aliquid scribere me posse materiei dignum. Haecce animo volvebam cum alia cura, majorisque momenti me a studiis detraxit. Indigne ferens perfidiam et ingratum Belgarum erga Gulielmum Regem animum, arma cepi cum condiscipulis meis, ad regiam dignitatem attentatam, et ad justitiam et honestatem defendendam. Integro anno elapso in vitâ militari, multum damnum studiis meis allatum fuit; sed cum post victoriam, decretum Regis nos in Academiam reduxisset, rursus ar-

gumentum meum praedilectum aggressus sum. Sed propter magnam ejus difficultatem, et obligationem cito studiis meis Academicis finem imponendi, tantum nonnulla tradam de illâ argumenti mei parte quae Dissertationis caput primum efficere debebat, nempe *de Origine Juris feudalis*.

# CAPUT PRIMUM.

## VARIORUM AUCTORUM DE JURIS FEUDALIS ORIGINE VARIAE SENTENTIAE.

Varii auctores qui de Jure feudali scripserunt minime consentiunt de ejus Origine. Nonnulli (1) commoti pulchritudine et ordine disciplinae Juris Romani, fontem arbitrantur omnium legum quae vim habuerunt apud populos Europaeos, et conantur ex illo, Instituta feudalia etiam deducere (2). Nec inter eos consensus

(1) Sullivan Feudal Law L. III.

(2) Quae erronea JCtorum istorum sententia, corroborari tamen poterat ipsorum Librorum *de Feudis* inspectione, et Constitutionibus Imperatorum Germanorum, qui quamvis Jus Feudale in Germania vigeret, tamen conati sunt Imperii Romani majestatem adsumere, quasi legitimi fuissent successores Imperatorum Romanorum, et omnes quas de feudalibus causis leges tulerunt, nomine S. Imp. Romani et sub forma antiquis temporibus usitata ediderunt. Cf. Putter Jus Publicum Medii Aevi.

quoad tempus et auctorem hujus instituti; hi a primis Urbis Romae cunabulis jus feudale deducunt, illi, hoc minus alte quaerunt, alii descendunt usque ad tempus Imperatorum Graecorum qui Constantinopoli regnaverunt.

Alii scriptores differentiam agnoscentes principiorum quibus ut fundamento nituntur Jus Romanum et Jus feudale aliam quaesiverunt originem et e veteribus Gentium Europaearum consuetudinibus deducere voluerunt; at hos inter tot fere sunt sententiae quot sunt populi, sed plurimi Germaniam agnoscunt Juris Feudalis parentem; quin et hi etiam dissentiunt, nonnulli opinantes Imperatores Germanicos hoc Jus in usum introduxisse, alii (ut Montesquieu) natum fuisse apud veteres Germanos, alii (ut Gibbon et Hallam) ortum esse ex victoriis Francorum et primo in Galliâ devictâ obtinuisse.

Videamus igitur sententias quorumdam et excutiamus, ut sciatur utrum comprobandae sint an non.

(1) Nonnulli institutum feudale ad antiquis-

(1) Conf. Craig de Feudis L. I. d. 5. Selden Titles of Honour P. II. c. 1. § 23. Basnage Coutume Ref. de Normandie T. I. p. 139.

sima Reip. Romanae tempora referunt, quin etiam a Romulo ipso conditum esse putant, sub nomine Juris Patronatus.

Sed magna est differentia Patronos inter et Dominos feudales; vinculum patronatus civile tantum erat, nexus vero feudalis in origine sua militaris fuit, postea civilis etiam habitus regionibus illis quâ Jus feudale Juris civilis locum obtinuit. — In formâ tamen externâ, non adeo dissimilia videntur haec instituta: nam Romae, clientes patronis obedientiam praestabant, eos magnâ cum reverentiâ colebant, adjuvabantque in omnibus rebus civilibus, et si patronus in paupertatem cadebat, dotem filiae ejus dare debebant. Ex alterâ parte erant patroni clientum defensores naturales, eorumque in foro vitam et bona tuebantur.

Haec officia mutua etiam locum habebant dominum inter et vassallum, sed insuper:

1°. Vassallus fidem suam domino *juramento* promittebat, eique *homagium* praestabat.

2°. Tribus exceptis casibus (1), vectigalia

(1) Ad Dominum bello captum ab hostibus redimendum;

Cum filius natu major domini eques factus esset;

Cum filia natu major primas contraheret nuptias. F. L. II. Tit. 5.

extraordinaria quae vassallus domino solvebat, ex solâ illius pendebant voluntate, nisi alius investiturae accessisset contractus.

3°. Quae maxima erat differentia, fundus civis Romani nihil patrono debebat et totum dominium penes clientem erat, vel saltem nihil ex hujus fundi reditu vel dominio pro suo vindicare poterat patronus, quasi sibi jure patronatus debito: vassallus autem fundi feudalis quem possidebat *dominium* tantum *utile* habebat, cum *dominium supremum* semper penes dominum maneret. Et si vassallus agrum allodialem possidebat, nec domino incumbebat obligatio vassallum tuendi quoad fundi hujus possessionem, nec a vassallo fundi fructus partem exigere poterat, nomine census, decumarum, laudemii vel similium, licebatque vassallo fundum istum alienare sine domini sui consensu.

Jus Patronatus igitur, reipsa a Jure domini in vassallum differt, nec ut ejus fons haberi potest.

Alii auctores (1) contendunt donationes agrorum a Triumviris Octavio, Antonio et Lepido, veteranis factas, originem fuisse feudorum; sed

(1) Conf. Craig et Selden ibid.

hi agri quorum conditio, in omnibus, conditioni praediorum Romanorum similis erat, dati erant veteranis militibus tanquam virtutis bellicae merces, cum jam senectute, nimiis operibus aut vulneribus militiae impares facti essent; nec magis ad officia pro iis praestanda cogebantur, quam si nummos vel vestimenta, vel quamvis aliam accepissent mercedem (1). — Feuda autem data fuere, imprimis antiquioribus temporibus, viris fortibus, ut militiae postea utiles essent, potius quam veteranis (2).

---

(1) Sullivan, Op. I. p. 21.

(2) Minus recte mihi videtur causam afferre ad horum auctorum argumentum refellendum Cons. R. W. v. Lynden, in Diss. suae p. 8. (De causis frequentis Allodiorum in feuda mutationis), quod haec praedia ad foemina, vel ad mares arma non ferentes descendere non poterant. Haec enim diu fuit feudorum conditio apud nonnullos populos, praesertim Longobardos et Visigothos, Cf. F. L. II. Tit. 30 et 36. *an mutus vel alias imperfectus feudum retineat.* Cf. etiam J. de Sancto Georgio, de Homagiis, in Oceano Juris. Vol. XIII. et Tractatum de Feudis ibid. Lib. de Feudis I. 24. Schwäbisch Lehnrecht C. 103. § 5. Sachsenspiegel I. art. 4. et universe Dieck *Das gemeine in Deutschland gültige Lehnrecht* §. 58, 59, 60.

Alii (1) auctores qui fortasse hujus objectionis vim senserunt, non adscendunt ultra tempora Alexandri Severi, circa annum 222. « Sola » quae de hostibus capta sunt, limitaneis duci» bus et militibus donavit, ita ut eorum essent » si haeredes eorum militarent, nec unquam » ad privatos pertinerent; dicens attentius eos » militaturos si etiam sua rura defenderent. » Addidit sane his animalia et servos, ut pos» sent colere quod acceperant, nec per ino» piam hominum, vel senectute possidentium » desererentur rura vicinia barbariae, quod tur» pissimum esse dicebat." (Lampridius in vitâ Alex. Severi. Cap. 58.)

Hoc institutum feudo multo propius accedit quam ea quae jam vidimus; sunt agri dati in spem futuri officii militaris, sunt etiam servi glebae adstricti, et facile hoc possessionis genus, cum dominio vassalli in fundo feudali confundi potest, si ad formam tantum externam attendatur. Attamen quamvis verisimilior videatur haec interpretatio quam aliorum quas jam vidimus auctorum sententiae, haec etiam cadit si in hujus instituti naturam altius inquirimus; agri

---

(1) Vid. Molinaeus, Consuet. Paris. Tit. 1. Loyseau, des Offices Lib. I. Cap. 1.

quidem sub conditione *servitii militaris* dati erant, sed caeteroquin in nulla re differebant a fundo romano, et a donatione sub conditione facta nulli reditus feudales, nullum praecipue *homagium* nec *juramentum* fidelitatis, donationis feudalis magnum criterium.

Hoc argumentum etiam profert Sullivan (1) qui et aliud addit, nempe feuda admodum sero hereditaria facta esse, et diu non pro longiore data fuisse tempore quam vassallus in vivis maneret; comprobat igitur sententiam Oberti de Orto, et Gerardi Capagistae, in libris *de Feudis* expressam (2), qui Corpori Juris Romani plerumque adjuncti eduntur. Sed non est hic locus hujus sententiae excutiendae, quam paulo post perpendam.

Alii (3) agnoscere sibi videntur feuda, in agris procuratorum Romanorum, praetorum, usufructuariorum, publicanorum, etc.; sed haec sententia refutatione indigna videtur, cum hi possidendi modi tantum cum impropriis et sero in usum introductis feudis, aliquam habeant si-

(1) Lectures on the Laws et Constitution of England. Book I. L. 3.

(2) F. I. Tit. 1. § 1.

(3) Sullivan l. l.

militudinem, nec unquam exemplum et origo fuisse potuerit veri et antiqui feudi militaris, quod primis certe temporibus extitit.

*Alii* denique feudorum originem Constantinopoli repetunt, contendentes prima feuda in Imperium introducta fuisse a Constantino VII. Porphyrogeneta, quod et verum est, sed cum seculo decimo regnaverit, manifestum est Constantinum non systematis hujusce conditorem fuisse, cum jam vigeret J. F. in Galliâ, Germaniâ, apud Longobardos, Visigothos, aliosque populos.

Plerique auctores qui de J. F. scripserunt, crediderunt quoad ejus originem fidem habendam esse Libris Feudorum quorum quatuor priores scripti fuerunt circa annum 1150, a Consulibus Mediolanensibus Oberto de Orto et Gerardo Capagista, vel qui ex eorum decisionibus ab aliis collectis fuerunt. Cum haec collectio diu auctoritatem obtinuerit, verosimile erat in ea optima extare monumenta, eaque authentica de feudorum origine. Attamen non ita se res habet; quod in Libris Feudorum hac de re traditur non multum nos adjuvat ad verum inveniendum, et auctores horum librorum magnam ostendunt ignorantiam, tam in iis, quae de J. F. origine dicunt, quam ridiculâ etymologiâ qua nonnulla

verba, quae in jure feudali occurrunt conantur explicare (1).

Libri Feudorum nihil dicunt de tempore nec de modo quo jus feudale in usum venerit et totam feudorum historiam his paucis tradunt verbis: (F. L. I. Tit. 1.) » Antiquissimo tempore » sic erat in dominorum potestate connexum, ut » quando vellent, possent auferre rem in feudum » a se datam. Postea eo ventum est, ut per » annum tantum firmitatem haberent. Deinde » statutum est ut usque ad vitam fidelis produ» ceretur. Sed cum hoc jure successionis ad » filios non pertineret, sic progressum est, ut » ad filios deveniret; in quem scilicet dominus » hoc vellet beneficium confirmare. Quod ho» die ita stabilitum est ut ad omnes aequaliter » veniat. »

Haec doctrina recepta fuit a pluribus doctissimis scriptoribus, (Mably (2), Montesquieu (3), Robertson (4)), summis vi-

---

(1) Conf. ex. gr. F. L. II. tit. 10, » Dicitur autem » marchia, quia marcha, ut et plurimum juxta mare sit » posita," etc. etc.

(2) Histoire de France.

(3) Esprit des Loix, L. XXX. c. 16.

(4) Introduction to the History of Charles the Fifth.

ris, et aliis minoris auctoritatis; sed a priori, non videtur talis contractus leoninus extare potuisse quo vassallus primo domini nutu, rem infeodatam reddere deberet; nulla tunc esse potuissent *feuda oblata*, quorum frequens fuit et antiquus usus (1). Et ex alia parte monumentis historicis refutatur haec sententia; quamvis non constet quid in mente habeat Feudista cum de *antiquissimis temporibus* loquatur. Clar. Guizot ad evidentiam probavit (2), feuda propria, ad nutum revocabilia, vel annua, nunquam exstitisse (3) et in antiquissimis monumentis ubi de feudis vel potius de beneficiis dicitur, promiscue inveniuntur feuda hereditaria et alia quae tantum ad vitam vassalli concedebantur. Sed cum longius sit, quae affert exempla hic referre, et quae inveniuntur apud Dieck (in opere lau-

(1) Auctor anonymus, in coll. Melchioris Haiminsfeldi *de Rebus Suevicis*, testatur jam temporibus Chlodwigii (Clovis) vel filii ejus Theodorici, sermonem fuisse de feudis oblatis.

(2) Cours d'Histoire Moderne, Vol. IV. p. 32.

(3) Feudum Guardiae et Gastaldiae et nonnulla alia, post annum revocabilia erant, sed cum haec feuda impropria sint, ultimisque introducta temporibus, non videtur hoc contra sententiam nostram facere. F. I. Tit. 2.

dato, p. 8.) nonnullos fontes indico. — Baluzius, in Capitulariorum Collectione T. I. Coll. 8. — Coll. 14. (A. D. 587.) — Coll. 13. » Beneficia quae Regina alicui contulerit ejusdem » sint in perpetuum, nec ei unquam auferen» tur." — T. II. Coll. 14. Capit. Caroli Calvi. — Marculfus, L. I. form. 4. (saeculi VII). — Theganus, in vita Ludovici Pii, cap. 19. » Villas regias — fidelibus suis tradidit in possessiones sempiternas. — Du Fresne, Gloss. voce beneficium.

Nonnulli Auctores Hispani contendunt antiquos Celtiberiorum mores locum dedisse juri feudali; alii id repetere volunt a priscis Gallorum moribus; alii vero ut jam dixi feudorum originem apud Germanos quaerunt.

Cum talis sit virorum doctorum hac de re opinionum discrepantia, et cum nullius argumenta mihi plene satisfacerent, aliam mihi visum est viam ingredi, aliamque amplectere sententiam, quam tamen neque solus neque primus sequor, nempe:

*Germanos solos jus feudale in Europam introduxisse, non tamen in Germaniâ natum, sed a Germanis ex Oriente secum allatum, verosimiliter ex Perside vel potius Ariana, ex qua oriundi videntur.*

Cum tempus, et vires mihi deficiant ad rem diligenter copioseque tractandam, mentem meam tamen sequentibus capitibus breviter explicare conabor.

# CAPUT SECUNDUM.

## APUD NULLOS VETERES EUROPAE POPULOS (SI GERMANOS EXCIPIAS), INVENIRI INSTITUTUM UNDE JUS FEUDALE ORIGINEM TRAXERIT.

Difficillimum est neganti probare, praesertim in re qualis haec est. Enimvero mihi sic incumberet onus hic descriptionis plenae et perfectae faciendae omnium legum atque institutorum cujuscumque populi; sed cum, exceptis Graecis et Romanis, nulla harum gentium nobis scripta reliquerit in quibus antiquissimae leges vel consuetudines describerentur, cum saepissime in litteris rudes essent, colligenda est uniuscujusque populi historia e variis Romanis vel Graecis scriptoribus qui alias Gentes Europaeas passim libris suis commemorarunt; quae ingentis operis materies non facile inter Dissertationis fines contineri potest. Nonnulli tamen conati sunt ejusmodi quid facere, et inprimis Doctus Simon

Pelloutier, in historiâ suâ Celtarum; qui cum fere omnes Latinos Graecosque scriptores perlegisset ex illis omnes adnotavit locos ubi mentio fit veterum Europae incolarum. Sed dolendum est quod tam multa inutilia in opus admiserit, vel potius quod propter praejudicatam suam opinionem omnes Europae populos Celtas esse, omnia tali in modo turbaverit, ut vix libro suo supersit usus. Probare conatur omnes Europae populos eadem usos fuisse religione, eadem lingua, eisdem moribus et legibus; quae contra hoc faciunt, sua, id est nulla auctoritate elevat, ipsa verba auctorum (ut Caesaris) tollit, mutat, decurtat, et cum hoc sibi antea persuasisset sermonem Germanicum apud omnes has gentes qnas Celticas appellat obtinuisse, si vocabulorum vel nominum Etymologiam veram invenire non potest, novam effingit (1).

---

(1) Ut rei exemplum afferam: Magistratus ille quem Caesar tradit apud Aeduos Judicis munus exercuisse, vocabatur *Vergobretus;* unde statim colligit Pelloutier nomen ejus a Germanico radice venire, *wergen*, quod secundum eum *judicare* significaret; at non videtur unquam tale exstitisse verbum; in lingua Germ. hodierna dicitur judicare *richten*, in antiquissimo vero sermone *schöpfen* (das Recht) unde postea venit appellatio

Plures alii quos consulere debui auctores, ut Macpherson, Pinkerton, eamdem perversam secuti sunt viam ac Pelloutier, theoriam sibi ab initio proponentes, quam postea omnibus fulcire argumentis conantur.

Videamus nunc utrum, tempore Imperii Romani, institutum deprehendere possimus apud singulos Europae populos, quod Juris Feudalis fundamentum esse potuerit.

*Graecia.* In antiquis Graecis civitatibus nihil vidi quod feudi similitudinem haberet, sed si tale quid hac in regione extare potuisset, tempore de quo agitur, jam in provinciam Romani Imperii redacta erat Graecia, Romanis Magistratibus, legibusque parebat; et si feudi speciem in Graeciâ deprehendere cupimus, in Jure Romano eam quaerere debemus. Sed insuper jam vidimus feuda in Graeciam introducta fuisse a Constantino VII. Porphyrogeneta; atqui regnabat A. D. 912, quo tempore jam in magna Europae parte vigebat jus feudale.

*Italia.* Jam plurimas in Capite primo perpendimus auctorum sententias quibus videbatur

---

Scabinorum, Schöffe, schepen, echevin. — De vera nominis Vergobrethi significatione conf. Adelung, Mithridates, Vol. II. p. 76.

jus feudale in Italia ortum, quas quantum potui conatus sum refutare. Sed et aliud extat hujus sententiae argumentum, nempe existentia Juris Emphyteuticarii. Extat nimirum in Emphyteusi divisio illa dominii in utile et supremum, quae etiam in J. F. in usum venit. Est Emphyteusis contractus consensualis, quo dominus fundi vel aedificii, praedii sui usumfructum et jus dominio proximum, alteri in perpetuum, vel ad tempus non modicum, concedit, ea lege, ut in agnitionem dominii, canonem annuum solvat (1). Colono licet emphyteusin vendere, consentiente Domino; potest illam etiam invito domino, altero donare, permutare, dum novus colonus laudemium, id est quinquagesimam pretii partem domino solvat (2).

Hic contractus tantam cum feudo habet similitudinem, ut etiam in foro feudali Germanico recepta esset *Actio Emphyteuticaria* ad feudum amissum repetendum (Dieck, Lehnrecht, II. Th. Cap. 1. N°. 1. §. 40). Tamen deficiunt hic quae maxime in feudo requiruntur; nulla promittitur

(1) Instit. L. III. de locatione conductione §. 3. Lib. VI. tit. 3. ff. si ager vectigalis, id est emphyteuticarius petatur. Cod. L. IV. tit. 66. de Jure Emphyteutico.
(2) L. 3. Cod. t. l.

fides, nullum praestatur homagium, nullum exigitur servitium militare, nec dominus Emphyteuseos ullam acquirit potestatem in personam Emphyteutae; nullo modo inter eos existit vinculum quod inter dominum feudalem et vassallum obtinet, sed tantum id quod inter locatorem et conductorem extat; quin etiam in Emphyteusi potest colonus ejusdem, vel etiam altioris esse dignitatis ordinisve quam dominus.

Notandum est Emphyteusin non ex Italia, sed ex Graecia esse oriundam et ex exiguo legum numero quae de hoc contractu latae fuerunt, colligere possumus ejus usum non ita frequentem fuisse; suntque hae leges admodum recentes; primus qui contractus hujusce naturam definivit fuit Imperator Zeno, qui anno 474 regnare incoepit. Non videtur ergo Emphyteusis originem fuisse feudorum.

Inveniuntur revera in Italia, Gallia et Germania instituta feudalia miro in modo cum legibus Romanis commixta; sed non multum valet hoc argumentum, nam cum circa saeculum XII, populi sentire incoeperunt quam imperfecta esset fori feudalis Jurisprudentia, conati sunt huic vitio remedium afferre, plura e legibus Romanis sumentes, ad J. F. supplendum, ut optime demonstrat Robertson (Intr. to the Hist. of Ch. V.)

et eadem ex causa inferre possumus cum Schiltero (Instit. feud. p. 23.) Jus Romanum nullo modo adhiberi posse ad consuetudines feudales explicandas, cum principia quibus superstruantur toto coelo inter se differant. Accedit et ipsum Librorum Feudorum testimonium (F. II. tit. 1. pr.).

» Legum Romanarum non vilis est authori-
» tas; sed non adeo vim suam extendunt ut
» usum vincant aut mores."

Leges quae populum regunt ab Imperio descendunt, mores vero et consuetudines in gente ipsa existunt. Populus itaque qui alterum vicit, quique in populi victi regione consedit, saepissime hujus mores assumit, non facile vero se populi victi legibus submittit; contra victorum est, legem imponere victis. Cum igitur feuda ab initio apud Imperii Romani victores deprehendantur, non admittere possumus barbaras gentes tale institutum ex Romano duxisse Jure. Haec de Italia sufficiant.

*Hispania.* Nonnulli Jus F. deducere voluerunt ex antiquis Celtiberorum moribus, quos descripserunt Pomponius Mela, Strabo, et Plutarchus in vita Sertorii; hi mores fere iidem erant qui in Gallia, sed nullo modo feudales haberi possunt ut mox videbimus de Gallia

agentes; praeterea diu redacta fuerat Hispania in formam Provinciae Romanae et indigenarum instituta jam diu obsoleta erant.

*Gallia.* Idem argumentum hic valet atque in Hispania. Regio haec, quam primi Romani invaserunt, et ubi plura per secula rerum potiti sunt, quae postea praeda fuit Francorum, Burgundionum, aliorumque populorum Germanicorum, saepe externis institutis obtemperare debuit, et alias leges cum aliis dominis accipere, nec amplius quid veterum consuetudinum extare potuit, post tales, tamque diuturnas rerum conversiones.

Non tamen credo feudalem fuisse antiquam regiminis in Gallia formam, quamvis nonnulli in ambactis Gallorum nobilium vassallos se invenisse crediderunt; nam nihil ad rem facit Caesaris sententia quam ad partes vocant; in Lib. VI. Commentariorum de B. G. legitur in cap. 15:

» Alterum genus est equitum. Ii, cum est
» usus atque aliquod bellum incidit . . . . .
» omnes in bello versantur, atque eorum ut
» quisque est genere copiisque amplissimus, ita
» plurimos circum se ambactos clientesque ha-
» bent."

Et paulo ante, de populo loquens dixerat:

» Plebs pene servorum habetur loco; quae
» per se nihil audet et nulli adhibetur concilio.

» Plerique, cum aut aere alieno, aut magnitu-
» dine tributorum, aut injuria potentiorum pre-
» mantur, sese in servitutem dicant nobilibus;
» in hos eadem omnia sunt jura quae dominis in
» servos." L. VI. cap. 13.

Qui hic constitutionem videre volunt feudalem eam etiam agnoscere debent omnibus in regionibus ubi proceres et inferiores, ubi domini et servi inveniuntur. Habebant quidem domini feudales etiam servos quorum utebantur ministeriis, sed hi non partem efficiebant necessariam regiminis feudalis, et etiam in fundo allodiali extare poterant servi glebae adscripti, non minus quam in fundo feudali. *Servitium non est vassallagium.*

Postquam Celtarum mores in Gallia examini submisimus, videamus etiam de Celtis *Insularum Britannicarum* incolis. Et etiam hic somniati sunt nonnulli feudorum originem inveniri posse, sed quamvis Sir Edward Coke illam a temporibus repetat Regum fabulariorum quos recenset Geofredus a Monmouth, nihil invenire potui in Caesaris vel Taciti scriptis, nec in veterum auctorum fragmentis quos referunt Pelloutier (1), Macpherson (2),

(1) Pelloutier Histoire des Celtes.

(2) Critical Dissertations, on the origin, antiquities

Pinkerton (1), Ritson (2) et Millar (3), quod feudi formam haberet, ante Nordmannorum (e Scandinaviâ) et Anglo-Saxonum dominationem. Contendit Adelung (Mithridates, Vol. II. p. 97.) Scotos qui ex Hibernia Caledoniam invaserunt, ibi J. F. in usum duxisse; sed talem sententiam argumentis destitutam admittere non possumus.

*Suecia*, *Norvagia*, *Dania*. Consuetudines populorum Scandinavorum tanto magis convenire videntur cum Jure feudali, ut diu crediderim eas fontes fuisse juris hujus; sed rem altius inspiciens errorem meum agnovi. Constat sane feudale regimen, ut in Medio Aevo extitisse scimus ex feudi notione, (unde systema nomen duxit), cum dominio et vassallagio, et insuper ex

---

language, government, manners and religion of the ancient Caledonians, their posterity the Picts, and the British and Irish Scotch, by John Macpherson D. D. 1 Vol. in 4°. London 1768.

(1) A Dissertation on the Origin and Progress of the Scythians or Goths, by John Pinkerton.

(2) Annals of the Caledonians, Picts and Scots, and of Strathclyde, Cumberland, Galloway and Murray, by Joseph Ritson. Edinburgh 1828.

(3) Millar Historische Entwickelung der Englischen Staats-Verfassung. (Hujus operis versionem germanicam tantum habebam.)

aliis quibusdam consuetudinibus; ut Jurisdictione procerum (*Grauen*, senes, vel e *gerefa*, angl. sax. pro judice, Etymon vocis *Graf.*) (1) judiciis per duodecim pares, aliisque.

---

(1) Germanicus interpres anonymus operis I. Clar. Millar de Constitutione Anglica, dicit verbum *Graf* non a v. *Grau* vel *Grav* venire, sed a voce Anglosaxonica *Gerefa*, quae *judicem* significat. Si vera est hujus verbi etymologia, mirandum sane est nomen hocce, in Germania viguisse et mansisse, cum obsoluerit in regione illa in qua Anglo-Saxones hoc munus condiderant, secundum auctorem, et in ejus loco, ibi extitisse ad quemque comitatum (shire) regendum, hominem vocatum Jarl (Earl) Elder, Alderman. Sicuti Comites in Germania primo nomen tulerunt senum, seniorum, canescentium (grauen), sic etiam in Anglia homines majores natu, seniores (Elders) vocabantur, et forsan significabat *gerefa* judicem, tantum quia primi judices *graven* fuerant. — Idem munus eodem designatum nomine apud Tartaros invenitur; teste Sir J. Malcolm *History of Persia* Vol. I. p. 204. » Each » Tartar tribe obeys an hereditary chief, who exercises rather a patriarchal than an absolute sway, and » who is at once supported and checked by the autho» rity of the *Reish-Suffeed*, or Elders, presiding over » the different branches of the tribe. The litteral mea» ning of the word *Reish-Suffeed* is *Grey-beard*, and » the authority was, no doubt, meant to be given » only to elders; but it is often hereditary, and thus » sometimes falls to young men."

Haec instituta etiam apud Scandinavos reperiuntur (1) nec mirum, cum fere ejusdem sint originis ac Germani, sed videntur tamen feudi notionem non habuisse, quod etiam tum apparuit, cum Heraldus Pulchricomes totam Norvagiam potitus, (A. 870—880), ibi Jus feudale introducere conatus est; valde enim huic proposito obstiterunt populi mores, quin etiam non pauci e patriâ migraverunt et ad insulam Thule (Islandiam) confugerunt, ubi novam condiderunt Rempublicam (2).

Gentes Scandinavicae, quae in Germania remanserant, ut v. g. Gothones, (Tacitus Germ. Cap. 43 et seq.), easdem videntur consuetudines ac Germani habuisse. Tacitus jam differentiam morum notat Suionum, qui opposita Scandinaviae, ut videtur, incolebant littora.

---

(1) Conf. Mallet Introduction à l'Histoire de Dannemarck. p. 103 seq. Olaüs Wormius, Monumenta Danica Lib. I. Cap. 10, Arngrim Jonas, Crymogaea, passim.

(2) Conf. Mallet, Op. l. p. 165. Arngrim Jonas, ibidem. Saxo Grammaticus, Lib. IV. p. 84.

## CAPUT TERTIUM.

### DE JURE FEUDALI APUD VETERES GERMANOS.

Cum non hic de universo Jure Feudali dicam, non mihi necesse videtur hoc loco omnia describere instituta, quae hoc nomine continentur, nec varias feudorum species, officiaque dominorum et vassallorum enumerare: sed his pro cognitis habitis, exquiram utrum J. F. vestigia apud veteres inveniantur Germanos. Difficilis est haec investigatio, cum Germani nullam scriptam legem reliquerint ante legem Salicam et Ripuariam, legemque Burgundionum, Visigothorum et Bajuvariorum, quae omnes scriptae sunt plura secula post tempus de quo dicendum est.

Quamvis Germani ipsi non scripserint, multa magni pretii monumenta apud Graecos Latinosque Historicos exstant. Caesar, Strabo, Mela, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus, Ammianus Marcellinus fere in omnibus consentiunt; sed plerique studiose describentes Ger-

(Gau) etiam judices erant naturales (1). Quamvis quovis anno civitatis agri dominos mutarent, eorum major pars nobilibus adsignabatur, ut comitum necessitatibus subveniretur (2). Haec multa sunt signa status feudalis, deest tantum constantior et diuturnior soli occupatio; at etiam in hoc singulari possidendi modo, qui apud Germanos valebat, dua possumus distinguere jura; colonus scilicet qui agros colebat, ibi perpetuum habebat domicilium, et dominio utili fundi fruebatur, dum dominium supremum penes Summum Imperantem manebat, qui quovis anno jus suum exercebat, in terris inter cives partiendis.

Sullivan (in Op. l. p. 32.) sic constitutionem Germanae civitatis enarrat. Primum locum obtinebat Rex, quem plures attendebant comites, qui illi sanctissimis fidelitatis sacramenti vinculis adstringebantur. Secundo sunt ordine

---

(1) In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum atque pagorum, inter suos jus dicunt. Caesar, de B. G. L. VI. cap. 23.

(2) Mos est civitatibus *ultro ac viritim* conferre principibus, vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. *Germ.* cap. 15. — Agri pro numero cultorum ab universis per vices occupantur, quos mox inter se *secundum dignationem* partiuntur. cap. 26.

Principes pagorum qui et ibi jus dicebant, et servitia Regi praestabant tempore belli, sed non ei tam arcte quam comites juncti. Tertius gradus est hominum liberorum qui pagos incolunt; et denique infimus ordo est servorum, qui agriculturae student, quorum tamen multo melior erat conditio quam servorum apud Romanos (1).

Addit auctor et Reges et pagorum principes a populo electos esse, sed hoc minus recte dictum videtur, et plura probant Taciti loca, Germanos etiam hereditaria cognovisse jura; error inde fluit, quod Sullivan distinctionem non facit quam Cl. Guizot probavit faciendam esse inter gentem quae domi manebat, quamque principes hereditarii regebant, et catervam militarem quae sibi ducem eligebat, et foris vagabat bellum gerens et fortunam tentans; quae ambo elementa Germanicarum gentium, probe sunt distinguenda, ut intelligantur quae de eis nobis veteres tradiderunt scriptores. Conf. Guizot, Op. l. Vol. I. p. 232.

Germani suas introduxerunt consuetudines in universam fere Europam, quam sibi variae Germanicae gentes subjecerunt, et quo firmior et

---

(1) Potgiesser, de Statu Servorum, L. II. c. 1.

stabilior eorum auctoritas fiebat, eo magis augebantur haec initia et crescebant ad certam et perfectam regiminis formam. Ejus principia in Britanniam attulerunt Anglo-Saxones, quae amplificata fuere a Normannis qui Insulam A. D. 1066 invaserunt. De Saxonibus non loquitur Tacitus, sed refert Ptolemaeus, suo extitisse tempore parvam coloniam hujus nominis, in ea regione quae nunc *Holstein* vocatur. Fere eodem in loco habitare tradit Tacitus Anglos, qui magno Suevorum foederi accesserant. (Germ. cap. 40.)

Francorum nusquam apud veteres scriptores nomen memoratur, sed cum Germanarum gentium appellationes, plerumque Epitheta vel cognomina fuisse videantur, quae sibi ipsi conferebant, ex. gr. ad magnae victoriae memoriam celebrandam, vel hujusmodi quid, facile intelligi potest, catervam virorum audacium, bella et gloriam quaerentium nomine hominum liberorum, omni vinculo solutorum, id est *Francorum* libenter usam esse.

Visigothi, qui Jus feudale in Hispaniam introduxerunt, et Ostrogothi, etiam ex Germania videntur oriundi, et sunt verosimiliter eos, quos Tacitus *Gothones* nominat (Germ. c. 43.), et

in Aesthonia habitare tradit, quos etiam Pythaeus *Kothinos* vocat.

Longobardi, qui Jus feudale secum in Italiam duxerunt, a Tacito commemorantur ut nobilissimi inter Suevos foederatos.

At contendunt Gibbon, et nonnulli alii, errasse Montesquieu, cum apud Germanos juris feudalis principia diceret inchoata extare; hoc jus autem sponte ex hujus jure nasci, qui regionem armis subegit, et hanc solam ob causam in omni Europa natura esse, quod tota fere Europa a Germanis gentibus debellata fuit. (Gibbon, Decl. and Fall of the R. Emp. Vol. I. p. 367.) Sed si verum hoc esset, ubique extitisset J. F. ubi gentes aliis gentibus devictae sunt; sed nihil tale vidimus apud Graecos, Romanos, aliosque populos in usu fuisse et si haec sententia vera esset, etiam illatum inveniremus J. F. in Americam, in Africam, apud omnes populos qui ab aliis victi fuere, id est in universo fere terrarum orbe.

Hisce nonnulla addenda sunt de vocis *feudum* vera significatione. Cum enim hoc vocabulum universo juri nomen dederit, non absque omni erit utilitate, unde venerit investigare. Libri Feudorum, quos Cujacius, multique alii secuti sunt, ei latinam adsignant originem, aiuntque

a *fidelitate* feudum dici, vel a *fide* (F. Lib. II. tit. 3. §. 4.). Sed non congruit haec vocis forma cum latinae linguae indole (fides, feodum), et praeterea rerum naturae magis consentaneum videtur, Germanici instituti nomen, Germanicam habuisse radicem. *Fe* (angl. *fee*) significare videtur *mercedem*, *salarium*, et *od*, praedium vel fundum, vel omnino rem quae in bonis est (1). Praeterea sunt feuda in antiquis Chartis sub nomine *beneficiorum* descripta per quatuor fere saecula; sed cum linguae latinae cultura magis magisque negligeretur, in eam multa intruderent vocabula barbara, e Germanica desumpta lingua; ut *Leudes* a *Leute*, *faida* a *Fehde*, *guerra*.... (*wehr?*), *Antrustiones* ab *Anvertraute*, etc. — Vocabulum *feodum* primum apparuit in Charta Caroli Crassi anno 884. In antiquis monumentis fere semper *feodum* scribitur, quod magis

---

(1) Conf. Dieck, Op. l. §. 1. N. 18. Haec etiam est Cl. Guizot sententia (Histoire de la Civilisation Française, Vol. IV. p. 28.), sed addit radicem *od* e linguis Germanicis evanuisse. Videtur tamen adhuc extare in adjectivo Suevico *odal*, quod Heinrichs (Schwedisch-Deutsches Lexikon) vertit per *frei*, *erb- und eigenthümlich;* unde exitum verbi adjectivum *al* si detrahis, manet particula *od* ad praedium vel rem in possessione significandam.

cum Etymologia convenire videtur, sed scribendi ratio *feudum*, magis usu valuit; saeculo XI promiscue adhibebantur *feudum* et *feodum*. » Tene» bat aquam illam ex me loco *beneficii*, sub no» mine *feudi*." (A. D. 1025). Du Fresne, Gloss. s. v. *beneficium*. Edit 1681. p. 531. » Benefi» cium quod vulgo dicitur *feodum*;" (1078.) eodem loco. In Charta Imp. Frederici I. verba *feodum* et *beneficium* sine discrimine adhibentur. (A. D. 1162).

❁

## CAPUT QUARTUM.

### GERMANI EX ASIA ORIUNDI.

Si Taciti sententiam de Germanorum Origine reciperemus, non necesse esset ut juris feudalis longius quaereremus vestigia, sed cum liceat ab eo dissentire, arbitrante (Germ. cap. 2) Germaniae incolas ibi arborum modo et herbarum solo editos esse (1), operae pretium est investigare ad quemnam ex antiquissimis orbis populis referri debeat origo gentium Germanicarum, et utrum regiminis forma qualis apud eos obtinuit, etiam apud parentem gentem, cujus sedibus relictis migraverunt, extet vel unquam extiterit.

Hujus disquisitionis difficultas multo major est quam praecedentium; hic desunt omnino monumenta authentica, et omnia conjecturis et theo-

(1) Gibbon, Op. l. Vol. I. c. 9. p. 349. Taciti amplectitur sententiam, Germanosque ex Hereynia Sylva aborigines existimat!

riis nituntur. Existimant plurimi recentiores eruditi, Germanos ex Perside migrasse, vel saltem ex Asia Superiori, sed hujus eventus tempus definiri, vel id certis rationibus demonstrari non potest, cum nulla supersint monumenta temporum tam a nobis remotorum. Quoad Germanos tamen, id opus mihi levius praestabit, quod tam parum mutaverint consuetudines, moresque proprios tam integros servaverint. Antiqui scriptores qui Germanorum in suis scriptis mentionem fecerunt, fere in omnibus consentiunt, quae nobis de illorum moribus et vivendi modo reliquerunt, et quamvis Germanos diversis temporibus cognoverint eosque descripserint, unus et idem populus ab eis describitur. A temporibus Pythaei (1), 320 annis ante C. N. usque ad Ammianum Marcellinum, A. D. 578, id est per septem fere saecula, nihil, aut perparum in vitae genere mutaverunt. Quod Tacitum non latuit, cum dicit:

(1) Quem ad partes vocat Adelung, Mithridates, Vol. II. p. 161. Jam in ejus tempore incolebant *Juti* hanc regionem quam Daniam appellamus (Chersonnesum Cimbricam); versus orientem *Teutones*, et prope eos, ad littora ubi succinum reperiebatur, *Ostyaei* et *Kothini*.

» Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam, et sinceram, et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur." Germ. cap. 4.

Lingua Germanica alterum huic rationi addit argumentum: quae per longam saeculorum seriem, multo minus mutata est, quam plurium aliarum nationum linguae, et Adelung (Mithridates, II. 169.) ait se non alteram cognoscere, quae per tam longum tempus formam suam genuinam tam bene servaverit. Ex his colligere possumus, etiam primis temporibus non magnum fuisse discrimen inter mores Germanorum antiquissimorum, et illorum de quibus nobis ex Graecis Latinisque scriptoribus innotuit.

Sed si historici Europaei inter se consentiunt, cum de Germanis in Germania degentibus loquuntur, eo magis dissentiunt cum de Asia sermo est, quin etiam ita discrepant Europaei ab Orientalibus scriptoribus iisdem de populis loquentibus, ut nesciatur cui sit addenda fides, imo et primo intuitu parum abest quin cum Richardson faciamus (1), cum dicat eamdem

(1) Dissertation on the languages, litterature and manners of the Eastern Nations, by J. Richardson.

fere dissimilitudinem inveniri Annales Japonicas inter et Britannicas, quam inter Persarum historiam Graecorum scriptorum, et eamdem historiam a Persis, Arabibus, aliisque Asiaticis auctoribus relatam.

Antiquissimi Persarum libri historici, libri Chronicarum Regum Persiae, quorum in SS. LL. saepe fit mentio, aliique, perierunt cum Saad-ben-Wakas, et Omar, Persarum Regnum ad fidem Moslemicam converterunt, ibique rerum potiti sunt (A. D. 641. Hegirae 21); paucissimi tantum servati fuerunt; et scriptoribus Muhammedi sectatoribus, qui de veteribus Persarum rebus scripserunt diffidendum est, propter ignorantiam fastidiosam, quam cum contemptu profitentur, de omni religione aliena (1); atqui, cum apud antiquos Orientis populos, religio publica magnum et praecipuum teneret locum in civitatis constitutione, et fere omnia alia instituta huic subjecta essent, perspicuum est historiam

(1) On any subject connected with Religion, the authority of Musselmen writers must be strongly suspected, for (except two or three) they affect contemptuous indifference, as is wilfully ignorant, concerning all modes of faith besides their own. Sir W. Ouseley's Travels in the East, Vol. II. p. 111.

rico, qui his de rebus diligenter scribere cupiat, ad res sacras bene intelligendas, praecipuam curam adhibendam esse.

At quamvis maxima parte perierint libri antiqui Persici, videntur tamen pauci diu superstites fuisse, nam Ferdausi diserte dicit, se ad historiam suam scribendam praesertim adhibuisse antiqua monumenta, lingua Pehlavica conscripta; et alius etiam exstat liber qui omnia habet impressa vestigia remotissimae antiquitatis; loquor de Zend Avesta Zoroastri (1); sed non certa res est de tempore quo scriptum fuit, et praeterea cum ab illi inde tempore interpolationes accederint, non plane illo confidere possumus.

Si igitur non obstantibus omnibus his difficultatibus, in Europaeorum, Asiaticorumque historicorum scriptis loci inveniuntur quibus ut argumentis uti possumus, verosimile erit nostram opinionem ratione non carere. Videamus igitur.

Jam dudum nationes Germanicae, et illae quae Persiam incolunt in eamdem stirpem retulerunt historiae naturalis et linguarum periti;

---

(1) De quo vid. Anquetil Duperron. Hyde, de Religione veterum Persarum, Brissonius, de Regio Persarum Imperio.

magna existit similitudo inter has familias; praecipue in Religione et moribus. Quamvis Romani et Graeci suos Deos apud omnes populos se invenisse crediderint, et suorum nomina Deis dederint multum diversis, a gentibus quas *barbaras* vocabant cultis, adsunt tamen in scriptis Graecorum et Romanorum multa acute animadversa, et diserte scripta quibus ipsi se refutant, cum, v. g. Germanis tribuunt Castoris et Pollicis, vel Mercurii cultum, et quibus docemur veram Germanorum religionem.

Cum non mihi propositum sit archaeologicam scribere dissertationem, non multa dicam de hac materia quam jam tot docti tractaverunt viri; unicum tantum Taciti afferam testimonium, quod rem conficit:

» Ceterum nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant *secretum illud* quod sola reverentia vident." *Germ.* Cap. 9. — Verbis *secretum illud*, et non *secreta illa*, videtur indicare Tacitus, eos unicum adorare Numen Supremum, ut aliis probat exemplis Cl. Gebauer, in Dissertationibus de Veteris Juris Germanici fragmentis.

Insuper excellebant Germani veritatis studio (Germ. Cap. 22); temperantia in cibo (23); castitate (18); hospitalitate (21); virtute militari (21 et 24); et filios filiasque in harum virtutum exercitatione educabant.

Haec de Germanis; videamus quid Graeci, et postea quid Orientis scriptores de Persarum religione ac moribus tradant.

Strabo ait Persas numinibus suis nec aras nec statuas consecrare; faciens cum Herodoto, qui dicit (Hist. Lib. I. Cap. 131.) » Neque statuas, neque aras, neque templa ponere aut consecrare fas putant; quinimo haec facientibus insaniae vituperium inferunt, ob id, ut mea fert opinio, quod non, quemadmodum Graeci, sentiunt Deos ex hominibus ortos esse." Addit Arabes et Assyrios postea extraneos introduxisse Deos.

Xenophon, aliique Graeci scriptores quos sequitur Gibbon, tradunt Persas nobiles acrem honestatis et virtutis bellicae sensum habuisse; nimirum a septimo jam anno docebantur vera loqui, sagittare, equitare, et temperantiae obedientiaeque parere.

(1) Secundum Mohsani Fani, primaeva Aria-

(1) Sir W. Jones's Works. Vol. I. p. 87.

nae (Persiae) Religio erat » Constans fides » Numen Supremum mundum per Omnipoten» tiam suam creasse, eumque divina Provi» dentia conservare; porro erga eum Deum » amor, adoratio et pius timor; erga senes » veneratio, erga omnes homines fraternus » amor, et etiam misericordia erga muta ani» mantia." Multa alia ad partes vocare possem instituta similia apud Germanos et veteres Persas, quoad Religionem et mores, sed brevitatis causa, dua tantum notabilia loca subjiciam. De Germanis loquens, ait Tacitus (Germ. Cap. 23): » Cibi simplices, agrestia poma, » recens fera, aut lac concretum. Sine appa» ratu, sine blandimentis expellunt famem. Ad» versus sitim non eadem temperantia." — et Cap. 22. — » Sed et de reconciliandis invicem » inimicis et jungendis affinitatibus, et adscis» cendis principibus, de pace denique ac bello » plerumque in conviviis consultant." — » De» tecta et nuda omnium mens postera die re» tractatur, et salva utriusque temporis ratio » est. Deliberant dum fingere nesciunt; con» stituunt dum errare non possunt." Et Herodotus I. 133. » (Persae) Cibis utuntur perpaucis, bellariis multis, neque iis confer-

tis; vino largius adhaerent. — Potu impleti de rebus maxime seriis consultare consueverunt; quod autem placuerit ipsis consultantibus, id postera die sobriis proponit is, qui aedibus illis in quibus forte consultatur praeest."

Lingua veterum Germanorum, nec minus linguae hodiernae quae ex illa defluxerunt, magnam cum veteri sermone Persico affinitatem habere videntur. Jam hoc animadverterat Leibnitz, qui (in Otio Hannoverano, p. 152) dicit: » Integri versus Persice scribi possunt » quos Germanus intelligat," quod tamen paulo jactantius dictum videtur; sed tamen revera magna adest similitudo, ut probaverunt Lipsius, Cent. III. Epist. 44. Scaliger, Burton, de veteri lingua Persica. Boxhorn, Sir W. Jones, Persian Grammar, Adelung, Mithridates, I. p. 277. pluresque alii.

Sed praeterquam quod in his conveniunt, alias etiam rationes habemus ob quas Germanos e Persia migratos esse existimemus; Herodotus ipse (Histor. I. 125.) postquam varias enumerasset tribus ex quibus Gens Persarum constaret, etiam unam ex his *Germanorum* appellatione distinguit, quos dicit agriculturae stu-

duisse; existimat Heeren (1) hic errorem esse in scribendo pro Kermannis vel Caramaniis, incolis regionis Kerman, sive Caramaniae; sed hoc non admitti potest, cum regio illa minime apta sit ad agriculturam propter soli ariditatem. Etiam Germani ab aliis, receptioribusque scriptoribus in Persia memorantur; inter alios Mirkhond, eos collocat apud fluvium Gihoun (Oxum).

Quae tamen nominum similitudo parvi esset momenti, si vera esset doctissimi Adelung sententia, nempe nomen Germanorum Celticae esse originis, et huic populo a Gallis datum fuisse, a quibus Romani id acceperant. Sed pars tantum hujus sententiae ad veritatem accedit; Galli Germanorum nomen non excogitaverant, sed totae genti nomen dederant unius tribus (quae postea Tungrorum nomen sumpsit); quae primum in Galliam trans Rhenum bellandi causa venit, ut notavit Tacitus. (Germ. Cap. 2.).

---

(1) Ideen über die Politik, den Verkehr, und den Handel der vornehmsten Völker der alter Welt. Vol. I. p. 396.

Sufficiant haec ad Germanorum Persarumque affinitatem probandam quod ad Religionem, mores, linguam et nomen attinet; etiam investigare vellem, *quare*, *quando*, et *quanam via*, ex Asia in Europam migraverint; sed haec tempora tam remota sunt, ut plane desint monumenta. — Ritter (1) ponit causam talium migrationum fuisse mutationem in Religione publice recepta (ut v. g. quae a Rege Houschoung effecta est), et rerum conversionem similem illae quae in India fuit, cum antiquus Buddhae cultus, illata nova doctrina quae a Menu nomen habet, aboluit. Si hoc admittitur, non aliter fieri potuit quin tribus haereticae expellerentur victoribus, (quod facile fieri potuit apud gentes nomadas), cum qui solum patrium derelinquere] noluissent ad infimum ignominiosissimumque servitutis gradum reducerentur, (quod Pariis accidit). Hac admissa sententia, essent Germani agricolae qui in Perside manserunt, novi cultus sectatores; qui vero foris vagati sunt, assidui veteris religionis cultores. Sed hae tantum conjecturae sunt.

---

(1) Vorhalle Europäischer Völkergeschichten, vor Herodotus; Berlin, 1820. Einleitung, p. 15 seq.

Heeren (Op. l. T. I. p. 390. et T. II. p. 317.) in duobus primis capitibus libri Zoroastri *Vendidat*, historiam agnoscere credit priscarum Persarum migrationum, vel ut magis universe loquamur, Arianorum. Arianae enim nomen, ait Strabo, ad partem quamdam Persarum, et Medorum, et septentrionalium Bactrianorum et Sogdianorum extendi. » Sunt enim, addit, fere » ejusdem linguae (1)." Arianorum prima sedes erat igitur in Paropamiso (sec. Vendidat Erieene Veedjo), unde versus Solis Occasum progressi sunt, impulsi, ut dicitur in libro Vendidat, temperiei mutatione, sed ut verosimilius est, crescente capitum numero, quem non amplius aleret eadem regio. Referuntur, conditis Soghd, Balkh, aliisque urbibus, processisse usque ad provinciam Fars, vel Persidem proprie dictam. Pars populi in regionibus manebat quas peragraverant, dum alii versus Occidentem cursum flectebant.

Aliquid hujus traditionis videtur Herodoto innotuisse, nam refert Persas origine ex parva montosa descendisse regione. (Hist. IX. 122.)

---

(2) Conf. etiam Herodotus, Histor. Lib. VII. 62.

Arrianus, (V. 4.) et Plato (de Leg. III.) idem de eis affirmant. Sed cum neuter tempus adnotaverit, quo tales locum habuerint migrationes, nihil certi inde colligere possumus de tempore quo Germanicae gentes Europam ingressae sint. Si Ritteri sententiam probamus, quam supra memoravi, id locum habuerit tempore mutationis hujusce in Religione publica, quae sub Rege Houschung exstitit, secundum historicos Persarum. Sed cum patriae instituta, religionem, linguam tam integre servaverint, oportet jam omnia haec diuturno usu Asia in ipsa comprobata fuisse, regnumque Persarum ibi jam stabilem attigisse formam.

Antiqui Europae scriptores etiam videntur aliquid suspicatos esse de communi Persarum et Germanorum origine, quorum nonnulla testimonia, ut maximi momenti sunt ad rationem nostram confirmandam, ordine deinceps posui.

1. Ammianus Marcellinus L. 31. » Persae qui sunt originitus Scythae."

2. Herodotus, Lib. IV. Cap. 11. Postquam fabulosam Scytharum originem enarasset, ex Scytha aliquo, Herculis filio, addit: » Est vero » etiam alia narratio, ita habens, cui potis» simum equidem adsentior: Scythas noma-

» des, Asiam incolentes, bello pressos a Mas-
» sagetis, trajecto Araxe fluvio, in terram ab-
» iisse Cimmeriorum; quam enim nunc terram
» Scythae tenent, ea olim Cimmeriorum fuisse
» traditur."

3. Diodorus Siculus, L. II. C. 1, 3 et 43, eadem refert cum iis quae apud Herodotum reperiuntur.

4. Dionysius Geograph. v. 798, tradit regionem Mare Caspium inter, et Pontem Euxinum, a Scythis incoli. — Cf. etiam Eusebius L. 9 C. 41.

5. Strabo et Pomponius Mela, cum de Scythia loquuntur, in eâ Germaniam comprehendere videntur.

6. Plinius L. IV. Cap. 12. ait Scythas (sub quorum nomine etiam Sarmatas intelligit) ad Septentrionem et Occidentem fluvii Danubii degere, additque: » Scytharum nomen us-
» quequaque transit in Sarmatas atque Germa-
» nos. Nec aliis prisca illa duravit appellatio,
» quam qui extremi gentium harum, ignoti
» prope ceteris mortalibus degunt."

7. Denique, Horatius, de Scythis canens, eis eamdem tribuit consuetudinem quam Germani habebant, quovis anno sedes mutandi.

Campestres melius Scythae.
(Quorum plaustra vagas rite trahunt domos)
Vivunt, et rigidi Getae,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges et Cererem ferunt;
Nec cultura placet longior annua.
*Carmen 24. Lib. III.*



## CAPUT QUINTUM.

### DE JURIS FEUDALIS APUD PERSAS VESTIGIIS.

Secundum plurimos recentiores auctores, qui de populis Asiae Occidentalis scripserunt, multa satisque manifesta Juris feudalis vestigia apud harum regionum incolas, inveniri possunt. Sed cum hae civitates saepissime rerum conversionibus, bellisque internis atque externis eversae sint, saepiusque extraneorum populorum imperio subjectae fuerint, non sperandum est instituta semper integra mansisse, neque hodiernas leges in omni re antiquis illis similes esse, quae ante bis, tres, vel quatuor mille annos his in regionibus viguerunt. Non tamen praetermittendum est, populos Orientales multo difficilius quam Occidentales, in moribus vel lingua mutationes admittere, quae omnia, non minus quam politica instituta, multa gravissimaque argumenta praebent, ubi historica deficiunt monumenta.

Hujus moris majorum studii exempla, apud omnes fere Asiae populos inveniri possunt, sed

apud nullos magis quam apud eos qui regionem Rajasthan vel Rajwarra incolunt. Cum per septem secula alieni dominatoris jussa passi sint, nondum antiquam civitatis formam obsolescere voluerunt, quae plenam Juris Feudalis imaginem praebet, ut optime demonstrat Vir Doctissimus J. Tod, in primo volumine eximii splendidique sui operis *Annals of Rajasthan*. Ibi deprehenduntur feuda directa (1) et sub-infeudata (p. 171.). Domini feudales quibus finium tuendorum munus committitur (2) (p. 140.), quod etiam

---

(1) » In Mewar, during the days of her glory and prosperity, fifteen thousand horse, bound by the ties of fidelity and service, followed their prince into the field, all supported by lands held by Grants." — *Colonel Tod's Annals of Rajasthan* T. I. p. 147. — » The Shekawuttees owe tribute and military service to the Raja of Jeypore." *Introd.* p. 6. — Et infra: » The Raja of Bikaneer's revenue only amount to 50,000 L. St. but as his troops are paid by assignment of lands, he was able to keep up 2000 horse, 8000 foot, and 36 pieces of field artillery, even after his defeat." — Conf. egregium opus: *An account of the Kingdom of Caubul, and its dependencies* etc. etc., *by the Hon Mountstuart Elphinstone, Resident at the Court of Poona, and late Envoy to the king of Caubul.* London. 1810.

(2) Reperitur etiam hoc institutum in praesidii mi-

in Persia locum habet, et cum Marchionum in Europa munere convenire videtur. Investiturae ritus (p. 158.) fere eodem modo absolvitur atque in Europa fiebat. Dominorum et vassallorum jura et officia fere in omnibus similia sunt eis quae Jure Feudali Europae in usu erant (p. 155.). Sed non ad certum tempus, ut saepe in Europa fiebat, (praesertim extremo Medio Aevo), restrictum est officium militare (1) (147). — Dominus similiter atque in Europa jus relevamenti habet (158) — tutelae (160) — feudi adimendi propter Vassalli feloniam (*forfaiture*) (ibidem). — Vassalli etiam tribus in casibus vectigalia extraordinaria solvere debent, quorum duo iidem sunt ac in J. F. Europaeo, nempe ad dominum ab hostibus captum redimendum, et cum ejus filia primas contrahat nuptias. — Etiam decumas domino solvunt (2). — Minimum feudum (*chur-*

litaris lege in finibus Croatiae, Dalmatiae, Sclavoniae vigente (in Bannatis), tum in Ziamis et Timariotis in Turcarum Imperio. Cf. Marsigni, *État militaire de l'Empire Ottoman*.

(1) » *At home and abroad, service shall be performed when demanded;* such is the condition of the » tenure."

(2) Hoc vero apud alios etiam Asiae populos moris

*sa*) eumdem habet modum, idemque nomen quod apud Anglo-Saxones; illud enim est quod tantum unum alit militem, quodque Angli *a hyde of land* vocant; — inveniuntur etiam in Rajasthan Domania regalia vel fisci, (*Khalisa*, p. 140) — Allodialium agrorum possessores, (*Bhoomia*, p. 168) — Coloni, (*Bussee*, p. 177) — et Servi, qui meliore sunt conditione quam apud Romanos. — Exempla etiam *feudorum oblatorum* afferuntur (169). — Apud populos illos (Radiputs, sec. Heeren, Rajpoots, see. v. ill. Tod), etiam animadvertitur hic ludorum aleatoriorum insanus amor, inimicitiae hereditariae, nec tamen implacabiles *compositione* intercedente; sed haec etiam apud plures alios in more sunt populos; quinetiam apud Americae Septentrionalis barbaricas gentes. — In Rajasthan sunt feuda militaria hereditaria, cum civi-

---

est; ut in insula Java, ubi quintam reditus partem domino solvunt; hoc vero a Muhammedis Religione profluere videtur, quamvis indirecte, nam ubicunque haec recepta est religio, ibi etiam leges Moslemicae comprobatae sunt, quibus id constitutum est; quod mihi tamen ex Judaeorum descendere videtur legibus, quas novit Muhammedes, et e quibus multa in Koranum adscivit. Cf. Course of Musselman Laws. — Calcutta.

lia quae potius *beneficia proprie dicta* vocarem, et e domaniis regalibus sumpta, ad vitam tantum beneficiarii conceduntur (p. 140). — Nonnulla Administrorum et Conciliariorum munera etiam ad vitam dantur, quorum rursus aliqua hereditaria evaserunt (p. 142). — Ibi etiam convocantur magna concilia, illis Anglo-Saxonum comitiis maximis, quae Wittenagemot vocabantur magnam similitudinem ferentia (p. 145). — Quin etiam et Artis Heraldicae rudimenta cognita habere videntur; cujusque Principis vel Domini propria insignia gentilia, vexillo descripta prae eis bello feruntur (p. 138).

Nemo in his, quae retuli, systema Juris Feudalis non agnoscet, ejusque fere perfecti; haec etiam perfectio quae per 7 saecula externae dominationis stetit, testari videtur populos hosce cum libertatem suam amitterent, jam diu his institutis obtemperasse; sed quod gravius est etiam in antiquissimis temporibus quorum monumenta historica memoriam servant, traditur J. F. in hac regione eadem viguisse forma. Doctissimus Scriptor e cujus opere has collegi animadversiones, ait (p. 134) se tabulas possidere ante mille annos incisas, feudorum nonnullorum investituras probantes; notandum autem est tunc magna gloria et potentia Rempublicam Rajasthanam

floruisse; cum in Europa Juris Feudalis vix primordia exstarent.

In regione Afghaunistan similia vigere videntur instituta feudalia, quamvis minus explicata; agri etiam sub conditione servitii militaris possidentur (1).

Quamvis non tam integrum sit J. F. in Persia, hodiernis temporibus, multa adhuc exstant unde confici potest, et Medio Aevo, et antiquissimis temporibus latius suam vim ibi exseruisse. Si haec regio tam acute explorata esset ad Jus F. inveniendum quam Rajasthan, forsan majorem agnosceremus similitudinem; at non dubium est quin in Persia feuda hodie etiam exstent. Sir John Malcolm (History of Persia, Vol. II. p. 355.) ait Regem Persarum exercitum colli-

(1) » The Eusofzyes — require the service of a foot soldier for every plough, or a horseman for every two." Elphinstone, Op. l. Vol. I. p. 262. — » The Doraunee clans are obliged to furnish nearly 12,000 men, as the condition on which they hold their *Teools*, or rent free lands, granted by Ahmed Shah." Elph. Vol. II. p. 317.

J. von Klaproth, (in Opere suo *Archiv für Asiatische Litteratur*, etc. Vol. I. p. 76, et in *Asia Polyglotta*, p. 55), Afghanos ordinis censet nationum stirpis Indo-Germanicae.

gere posse 80,000 equitum leviter armatorum, qui militiam agunt pro agrorum possessione quos hac sub conditione tenent. Etiam in Persia munus habetur quod idem videtur ac Comitis stabuli in Europa.

Chardin (Voyage en Perse) de diligenti cura loquitur, Regis Schah Sufi, in nobilibus feudalibus exstirpendis vel eorum potestate minuenda. Nomina denique technica regiminis feudalis, teste Richardson, (*Persian Dictionary*, et Dissertatione laudata, p. 268.) apud Persas exstant non ab aliis sumpta gentibus: *Beluk* Persarum ab eo *feudum* vertitur, vel ager quem subditus vel a Principis munificientia, vel hereditario jure possidet, idque sub conditione militiam agendi.

Si altius in Persarum historiam redimus, multa hujus instituti exempla deprehendimus. Quoad supremum dominium et sub-infeudationem videmus ex gr. (1) ducem Thegam, qui homagium facit Sultano Subuctageen a Ghizni, eique terras suas, operamque offert, ut eas rursus ab illo ut feudum accipiat: (feudum oblatum), ipseque in fidem recipiatur. Princeps ille Gazne-

(1) History of Persia, by Major General Sir J. Malcolm, Governor of Bombay, Vol. I. p. 177.

vidus Vassallus erat Regis Persidis Ameer Noah II, qui ipse a Khalifo pendebat (2). Alia hujus afferre possem exempla, quae tamen ne longior sit dissertatio, praetermittam.

Tempore Parthorum imperii eadem lex viguisse videtur, quantum quidem colligere possumus ex auctorum extraneorum scriptis, nam Persarum historici Arsacidarum regnum omnino praetermittunt, quasi ad historiam patriae suae minime pertineat. Optimi ex Europaeis scriptoribus putant tamen apud Parthos systema feudale receptum fuisse, eadem fere forma qua in Europa postea valuit. Estque hac in re maximi momenti doctissimi Gibbon sententia (1), quippe

(1) Idem, p. 164 et 180.

(2) » The vitaxae, or eighteen most powerful satraps, were permitted by the Arsacides to assume the regal title; and the vain pride of the Monarch was delighted with a nominal dominion on so many vassal Kings." Gibbon, Op. l. Vol. I. p. 329. Et inferius addit:

» The Parthian Empire, exhibited under other names, a lively image of the feudal system which has since prevailed in Europa."

» The Parthian Rulers, (ait Sir John Malcolm, Op. l. Vol. I. p. 536.) can only be deemed the heads of a great confederacy of feudal chiefs, each of whom aspired to regal power."

qui alias contra meam facit rationem, nec apud Germanos agnoscere vult Juris Feudalis vestigia. Conf. *Decline and Fall of the Roman Empire*, T. I. p. 362, et Gibbon's *Miscellaneous Works*, Vol. III. *Du Gouvernement féodal.*

Malcolm, (I. p. 549.) dicit Regis potestatem, quamvis eam jure hereditario teneret, semper compensatam fuisse auctoritate optimatum, qui Regis vassalli erant, et qui, antiquioribus temporibus hujus dominationis, convocabantur cum novus rex imperium assumpturus esset. — Auctores ipsi Persici qui modum referunt quo Alexander Persarum imperium potitus est, idque paulo aliter narrant quam Graeci, in hoc tamen cum eis consentiunt, eum regionem inter praecipuos duces partitum esse, qui ei fidem et militiae operam jurejurando promiserant, qui tamen post ejus mortem reges sui juris facti sunt. (Malcolm, I. cap. 4.).

Sed J. F. longe ante haec tempora extitisse probant et auctores hodierni (1) jam laudati et

---

Videatur etiam Freret, Mémoires de l'Académie, Tom. 19. Moyle's *Works*, Vol. I. p. 273. Plinius, Hist. Nat. Lib. VI. 25.

(1) Sir John Malcolm, *Hist. of P.* I. 553. » In the remoter ages the power of the sovereign was but

antiquissimi etiam scriptores. Antiquissima Persiae historia, a Persicis relata historicis quamvis magnopere a Graecis differat, luculenta hujus juris exempla praebet, jam tempore Regum Pishdadiarum et Kaïaniorum (quos secundum librum Dabistan, tres aliae regum series anteeesserint).

Unum e praecipuis quae notanda sunt, est exemplum Principum Provinciae Seistan, Regum Persiae vassallorum, in quibus heroibus carmine celebrandis mirifice sibi placuit Historicus Ferdausi, et qui diu in Persia Administri Regii, exercitusque duces hereditarii fuerunt. Sed quantumvis fabulosa sit eorum historia, verum tamen aliquid sub ea latitat, et quae de vinculo

---

faintly acknowledged by great feudal lords, who held lands (which had become hereditary) on the tenure of military service."

Gibbon, *Decl. et Fall* etc. Vol. I. 343. » The Persian nobles, (so natural is the Idea of feudal tenures), received from the King's bounty lands and houses on the condition of their service in war."

Richardson, *Dissertation* etc. p. 29. » Those Kingdoms known to us by the names of the Assyrians, Medes and Babylonians, appear from the Eastern writers, to have formed early one great Empire, on a tenure nearly resembling the feudal system."

quod eos inter et Regem fuit, dicuntur, non videntur argumento carere. Frequentia enim urbium ac palatiorum rudera, quae adhuc in Seistan extant, certa sunt argumenta in hac provincia olim homines ad eum humanitatis cultum pervenisse, qui a Persicis describitur historicis. Omnia quae de hoc saeculo tradunt non cum barbaricae societatis conditione congruunt, sed multo magis cum illustri aetate illa equitum Christianorum quam optime descripsit Ste. Palaye (1), quaeque tot egregiis fulgebat virtutibus; cum maximae ducebantur hae dotes quibus ad magnanimitatis laudem adscendunt homines; cum plus valebat probitas quam astutia, cum officia religiose praestare quam sua commoda sequi mallebant, necdum in Jus Gentium recepta erat haec regula *de non interveniendo in rebus aliorum populorum*, quae angustum sui studium prodit totius scientiae politicae hodiernae fundamentum. Illo enim tempore praesens commodum fide promissa nos liberare non existimabatur, aeternaque inurebatur infamiae nota, illi qui auxilium invocantem socium deseruisset. Nunc ve-

(1) Mémoires sur l'Ancienne Chevalerie, par Mr. de la Curne de Sainte Palaye.

ro r . . . sed praestat tacere, quam alieno loco etiam justae indulgere indignationi.

Linguarum Asiaticarum ignorantia fecit ut ex versionibus, et ex locis passim in Europaeorum scriptis sparsis, omnia haurire cogerer; forsan plura inveniri potuissent, sed cum auctores, quos conferre debui, alium sequerentur finem quam ego, multa praetermiserunt quae illis nullius, mihi vero magni fuissent momenti. Attamen Historia illa Persidis, quam saepe ad partes vocavi, (a Sir John Malcolm scripta), et quae ex ipsis libris Persicis, Arabicis et Indicis collecta est, satis magnam habere videtur auctoritatem. Nuper ex eo exemplum Principum attuli qui regioni Seistan imperabant; huic addi potest historia Regis Kai Khosrou et heroum ejus aulae, qui in multis conveniunt cum Carolo magno et ejus probis equitibus, (*les* 9 *preux*) saltem quod ad vivendi modum et vinculum quod eos inter et regem exstitit. Nebucadnezar, (*Bucht-ul-Nasser*) qui in S. S. L. L. commemoratur, videtur regis Lohorasp vassallus fuisse, a quo Babyloniam seu provinciam Irak Arabi ut feudum acceperat.

Superest ut de Graecis videamus scriptoribus. Heeren (Ideen, T. I. p. 488.) exemplis probat

e Platone, Thucydide, Strabone, Diodoro et Xenophonte allatis, Persarum reges nobilibus hominibus, ministris, etc. hujus illiusve provinciae fructus, ad vitam dedisse; tales reditus nonnunquam munera aulica secum ferebant, et muneribus hereditariis factis, horum provinciarum dominatio in iisdem mansit familiis (1). Consuetudo (quae adhuc in nonnullis Asiae regionibus obtinet) vexilla dandi, in dominationis signum, jam ut refert Arrianus, Alexandri tempore usitata erat. Postquam Sacas aliosque populos debellavisset, qui ad Mare Caspium, versus Orientem habitabant, provincias inter principes nobiliorum gentium partitus est, hique ei fidem promiserunt, eique polliciti sunt se cum eo pugnaturos cum certo militum numero, quo facto accepit quisque vexillum ab ejus manu, » in quibus," inquit Arrianus, » regionis » consuetudines secutus est."

Tacitus narrat principes Germanorum epulas et munera pro stipendio comitibus dedisse (Germ. 14.); hic mos antiquissimis jam temporibus invaluisse videtur, cum apud veteres Persas etiam in usu fuerit, et in usu manserit, etiam cum jam monetam cusam haberent, ut refert

(1) Xenophon, Cyropaedia, VIII, p. 230.

Herodotus (1); vetus auctor, Heraclides Cumensis, quem laudat Athenaeus (L. IV. p. 145.), probat in Persia moris fuisse, milites qui praesidio Regi vel duci sunt, annonas pro stipendio accipere, (Graecis vero pecunia stipendium solvebatur), et rem pariter se habere apud Regni Principes, et Provinciarum vel Urbium praefectos (2).

Heeren contendit, (Ideën, I. 489.) hoc Persarum regimen excelluisse, quod tanta cura civilem a militari administrationem distinguebant, et abusu tantum exceptiones huic legi natas esse; sed quae ipse refert exceptiones, tantae sunt numero et magnitudine ut ipsae pro regulis haberi possint et quod ad earum attinet antiquitatem, jam antiquis (secundum Herodotum) Persarum dominationis temporibus exstiterunt, quum Cyrus ipse primus feudi speciem filio suo natu minimo dederit, quem Ctesias *Tanyocertam*, Herodotus vero *Smerdim* vocat. Accepit ille Bactrianam, vicinasque regiones, quorum dominium tamen supremum penes Cambysem manebat, cui tamen nullum Smerdis tributum solveret.

---

(1) Herodotus, L. III. c. 30.
(2) Heeren, I. 458.

## CONCLUSIO.

Ex his quae supra exposui colligendum esse mihi videtur:

1°. Jus Feudale apud Europae populos (praeter Germanos) originem sumere non potuisse.

2°. Hujus Juris Rudimenta apud Germanos exstitisse, quantum ea cum nomadorum vita congruere possent.

3°. Eos hujus juris non inventores fuisse, sed id secum ex Asia duxisse, ubi diu viguerat.

Quae conatus sum afferre argumenta ad sententiam meam probandam, multum abest ut mihi videantur rem ad claram manifestamque demonstrationem deducere; mihi vero satis est, ea meae rationi probabilitatem conciliare, nec melius huic libello finis imponi posse videtur quam ipsis verbis referendis doctissimi St. Martin, (Discours sur l'Origine et l'Histoire des Arsacides, Journal Asiatique, Vol. I. o. 65.)

» On pense assez généralement que cette sorte » de Gouvernement qui dominait il y a quel-

» ques siècles, et qu'on appelle *système féodal*,
» était particulière à l'Europe, et que c'est dans
» les forêts de la Germanie qu'il en faut cher-
» cher l'origine. Cependant, si au lieu d'ad-
» mettre les faits sans les discuter, comme il
» arrive trop souvent, on examinait un peu cette
» opinion, elle disparaitrait devant la critique,
» ou du moins, elle se modifierait singulière-
» ment; et l'on verrait que si c'est des forêts de
» la Germanie que nous avons tiré le Gouver-
» nement féodal, il n'en est certainement pas
» originaire. Si l'on veut comparer l'Europe,
» telle qu'elle était au XII. Siècle, avec la Mo-
» narchie fondée en Asie par les Arsacides, trois
» siècles avant notre ère, on verra partout des
» institutions et des usages pareils. On y trou-
» vera les mêmes dignités et jusqu'aux mêmes
» titres etc. etc."

TANTUM.



# THESES.

I.

Exhaeredatus non semper partem facit, in portione legitima computanda.

II.

Creditor qui sine Judicis auctoritate rem debitoris violenter occupavit, praeter poenas lege sancitas, etiam rem raptam restituere debet, quamvis hoc expressis verbis lege non sit cautum.

III.

Secundum Juris Romani Principia, injustae erant hae Caesarum Constitutiones, quae dominis jus adimebant servos occidendi.

## IV.

Secundum Juris Civilis hodierni mentem, testamentum declarari potest nullum ob captationis causam, quamvis Codex hac de re sileat.

## V.

In Art. 59 Codicis Poenalis, » Les complices » d'un crime ou d'un délit seront punis de la » même peine que les auteurs mêmes de ce cri» me ou de ce délit." Verba » de la même peine" intelligenda sunt de eadem ipsa poena, non de eodem poenae genere.

## VI.

Optimae leges ad statum bene regendum non sufficiunt, nisi Summus Imperans tanta sit praeditus auctoritate, quae et metum reverentiae junctum injiciat, et sufficiat ad legum exsecutionem obtinendam.

## VII.

Jus abolitionis tam facile in abusum abire potest, et legum rationi tam contrarium est, ut minus prudenter in civitatem recipi videatur.

VIII.

Jure aggratiandi, non etiam contineri videtur jus poenae genus mutandi, sed poenam quidem minuendi si tota non tollatur.

IX.

Quod Jure Gentium Europaeo receptum est principium, Ethices officia inter variorum populorum Imperia existere non posse, mihi falsum videtur, et tum Religionis Christianae ingenio; tum vero populorum commodo repugnans.

X.

Communis boni interest, ut Gentes inter se de maleficorum extraditione conveniant, certe quod ad graviora crimina et delicta attinet.

XI.

Cum viarum publicarum cura, unus sit ex optimis modis prosperitatis publicae augendae, multum ad eam amplificandam contulerit is, qui novos introduxerit mercium, celerius, minoribusque cum impensis, transportandarum modos.

## XII.

Nimius patriae amor, ut apud Romanos spretis aliis gentibus colebatur, humanitati magnum affert impedimentum.



# ERRATA.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Pag.* | 1. | *lin.* | 3. quaenam | *leg.* | quasnam |
| » | 2 | » | 3. properandam | » | propagandam |
| » | » | » | 11. disputam | » | disputem |
| » | 5. | » | *ult.* veterum | » | veterem |
| » | 9. | » | 8. jus feudale aliam | » | jus feudale, aliam |
| » | 11. | » | 9. debito | » | debitum |
| » | 14. | » | 4. facta nulli | » | facta; nulli |
| » | » | *in notá* | et Coustitution | » | and Constitution |
| » | 21. | *lin.* | 26. qnas | » | quas |
| » | 30. | » | 5. Heraldus | » | Haraldus |
| » | 32. | » | *ult.* sument | » | sumunt |
| » | 34. | » | 1. *notae, deleatur verbum* sed | | |
| » | 37. | » | 11. natura *leg.* natum | | |

Quae alia invenientur, corrigat B. L.

